

beat. Quantū hodie mali una hęc res in Ecclesia parit ac peperit: In nullius ego unquā hominis, quātūvis excellentis & eruditi uerba sic iuravi ( aut porro sic iuraturus sum) ut ἀναμάστικτον credam, labi non posse putem, denique hominē esse obliuiscar. Quis quæso est (aut fuit) homo prudens, qui non de se quoq; dici hoc posse iudicet, quod Galen. alicubi, cū de Stechigene loquebatur, scriptum reliquit: χαλεπὸν γὰρ (rectius fortasse dixisset, ἀδύνατον) ἀνθρώπου ὄντα μὴ διαμαρτανεῖν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέσερον γράψαι αὐτα. Nunquam mihi ex animo excidit hæc sententia ab eo tēpore usque, quo primum eam legi. Itaq; Aristotelem qui lapsum nunquā putat, is extra & supra communem hominum sortem eundem collocat, ac diuinum, non mortalē facit: aut ex diuina eum reuelatione omnia scripsisse arbitratur. At uerò nō prorsus nulla in eo inueniri scio, quæ omnes liberè iudicantes falsa esse affirmabunt. Quod nō de illis solū dictum uelim, quæ cœlesti doctrinæ aduersantur, uerum etiam de illis, quæ principijs ab ipso positis nō cōsentiunt. Taceo quod contradictorias de rebus eisdem sentētias alicubi reperies. Sunt enim de quibus sententiam ferre nondum constanter audeo. Quippe sic ambigere uidentur, dum contrarias rationes inter se comparo, ut non facilè sit dicere, utra pars uerior sit. Sunt denique aliqua, quæ probabilioribus quidem uidentur argumentis negari, quā affirmari, at quid in locum eorum, si tollas, reponi possit, non liquet. In utroq; genere nō satis est tutū à recepta publicè sententia discedere. Qui eñ facere decreuit, eum oportet non tantū priorē opinionē confutare, sed in eius locū meliorem substituere. Deinde multis et efficacibus rationibus opus habebit, si à priore opinione homines abducere uelit. Non enim facilè cedit contrarijs rationibus qui persuasus est uerum illud esse, quod diu antè altè radices in animo eius egit. Prudenter ob id Hippoc. scripsit, ἢ ἀνάγκη ἐστὶ πρὸς τὰ ἰχυρῶς δοκέοντα, τὰ πολλὰ ἰσορῶν ἐπάγειν, εἰ μέλει τὸν ἀκόντα ἐκ τῆς πρὶν γνώσεως.